



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

Baluze, Etienne

Parisiis, 1679

Passio sanctæ Mariæ martyris ancillæ Tertulli.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14735

PASSIO SANCTÆ MARIÆ
martyris.

Adrianus & Antoninus Imperatores per omnes populos quos regebant legem miserunt cunctos Christianæ religionis viros ad sacrificium debere compelli, rebellibus verò pœnam mortis intendi. Illo itaque tempore Maria probata ovis Domini martyrium singulare perpessa est. Namque cùm Tertulli principalis esset ancilla, nobilitatem domini mentis benignitate vincens, Christo se probat ingenuam, sicut scriptum est: *Qui in Deo vocatus est servus, libertus est Domino.* Natale itaque filij celebrante Tertullo, cùm impuris idolis vanisque simulacris hostias immolaret, Maria incumbebat jejuniis, & sociam suam, ne proderetur dominæ, occulta simulatione fallebat. Diù tamen, insidiantē conserva, latere non potuit. Proditā, vocatur mox à domina, diciturque ei: *Quæ est causa jejunij? An occasio ista tristitiæ est quod natum tibi super Deum perhorrescit? Maria respondit: Numquid novum aliquid nunc usurpo? Semper mihi sunt hæc observata jejunia. Quomodo tristitiæ illud adscribitur quod consuetudinis causa servatur? Christiana sum, Christiano nascor ex genere, hereditarius mihi iste cultus est Christi. Tunc imperante domina ut cibi aliquid hauriret, Maria sancto spiritu cælestis escæ memor invocato Deo sic clamavit ad dominam: Corpori potes imperare, non animæ. Plus Deus meretur quàm filius tuus. Delectet illum turpis cantus & saltatus obscænus & quicquid ad delicias parvorum diligens fingit cura nutricum. Dei verò non vanus & inanis est cultus, sed plenus felicitatis & gratiæ. Tuenda castitas, amanda sobrietas, esca fu-*

Anno Christi
140.

gienda est. Ad hæc domina indignatione flammata verbera ei gravia, nisi dicto obtemperaret, pollicetur, & ipsam etiam, si repugnet, pœnam mortis indixit. Illa respondet: Fac quod vis, opto omnia perferre pro Christo.

II. Sed dum altercatio ista verborum est cogentis dominæ & repugnantis ancillæ, pedem à foro referens Tertullus ingreditur; qui ab uxore rebus omnibus exquisitis, inauditam statim flagellari præcepit ancillam, & afflictam diutino verberare in abdita membri parte detrudi, administrato modico & vili cibo, quo non satietur fames, sed deficientis quotidie animæ pars extrema fervetur. Sed devota mens Christo frangi hoc dolore non potuit. Quin etiam cotidianis orationibus incumberebat, ut facultas esset majora tolerandi.

III. Emenfis verò triginta diebus, Præsidi annuntiatum Tertullum principalem ipsius civitatis occultare in domo sua Christianæ religionis ancillam, quod Imperatorum præcepta prohibebant. Statim ad tribunal Tertullus adducitur, & primoribus convocatis, adsistente etiam vulgi corona, recitari legem Præsides iussit ex codice, cuius hæc forma est: *Maximianus, Adrianus, Antoninus, p. felices, augusti, omnibus nostris iura viventibus salutem. Pervenit ad nos varietas religionis à quibusdam nuper inventum. Nonnulli enim esse perhibentur quibus nec sacrificia cordi sunt nec cultus ille quem colimus, per quos sine dubio, nisi citò pœna formido succurrat, obliteranda est omnis antiqua credulitas & veneratio extinguenda majorum. Damus itaque omnibus populis hanc legem, & singulis iudicibus observanda hæc edicta proponimus, ut compellantur ad sacrificium singuli, & rebelles gladio ultore feriantur. Malumus enim paucos interfici quàm omnes errare, nec vagari ut pecora, sed potius unius esse sententia. Si quis igitur*

tur hujus legis aut cultus occultandum aliquem putaverit cujuslibet ætatis aut sexus, ferro ipse exhalet spiritum legibus repugnantem, fasultates verò ejus fisci commodis inferantur. Delator autem tanti criminis ex arario publico quadringentorum denariorum conlatione gratuletur, ut omnes agnoscant nec peccatum perire nec premium.

IV. Lecta itaque hac constitutione, ad circumstantes Præses ait: Quid sum ad ista factururus? Numquid repugnare possumus his præceptis? Responderunt principes curiæ dicentes: Humanius nos audire dignare. Tunc Præses scribi quæ dicerentur jubet. Surrexit scholasticus Nigagores, ut erat fandi peritus & artifex ad loquendum, omnium persona suscepta publico ore sic loquitur. Lucifer summe, lumen totius civitatis & populi, ut benignius nos audias deprecamur. Hic vir multis publicis functionibus & natalium splendore decoratus, magnum curiæ nostræ præstat auxilium. Fuit Augustorum Pontifex, præterea Munerarius civitatis, tum deinde legationibus plurimis pro publica utilitate susceptis tantum sibi gloriæ quantum amoris adscivit. Magis præterea largitionibus ejus aucta respublica est infinitarum pecuniæ suæ in diversis fabricis & balnearum calefactione dispersit. Sunt & alia majora quæ enumerare perlongum est. Nam primum ætatis tempus, in quo lubrica vita & teneri anni juvenali calore flammantur, religioni divinæ obtemperans vicit ætatem, & moderationis fræno naturæ ipsius jura superavit. At cum ævo gravior, maturioris cœpit esse consilij, satisfecisse se credens divinis præceptis, aliquid etiam quod populo placeret invenit. Munera itaque anni auspiciantis exsolvit, & magnis spectaculis propriis viribus comparatis, communem totius populi satiavit aspectum. Plurima agonum insignia in Cæsarea civitate complevit. Æmulas etiam prælij, vo-

luptates gladiatorum inter se dimicantium civibus non negavit. Necessitates proprias in re familiari lucra venientia patriæ semper credidit postponenda. Placuit itaque sacerdotio muneribus civitatis. Tunc, quod est maximum, ætatem suam vicit juvenis, sacerdos edocuit, ostendit non repudiandam in annis gravioribus voluptatem.

V. Præfectus scholastico inquit: Præteritæ actionis ortamenta commemoras, crimen quod intenditur non repellis. Respondit advocatus. Puella hæc, cujus scelere dominus perurguetur, ut dotalia instrumenta demonstrant, ab uxore donata est. Præfectus dixit. Tertulli uxor ingenua est? Respondit advocatus. Ingenua, quin etiam nobilitatis eximiæ. Oritur namque patre Cleonide. Præfectus ait. Comparata est hæc ancilla, an vernaculi educatione suscepta? Tertullus dixit. Nata quidem domi videtur, sed parentes ejus ad nos ex comparatione venerunt. Præfectus Tertullo ait. Socer tuus incolumis est, an jam ab hac luce migravit? Respondit Tertullus. Iam fati munus implevit. Præfectus ait. Istius contumacis ancillæ parentes supersunt? Respondit Tertullus. Defuncti sunt. Præfectus ait. Hujus perditæ religionis erant, an diis vota solvebant? Tertullus respondit. Ejusdem vesaniæ. Nam crucifixum colebant.

VI. Advocatus ait. Quæ non huic puellæ inflata tormenta sunt ut ab hac superstitione discederet? Nec mulceri unquam potuit nec flecti. Nam quanto majora fuere supplicia, tanto pertinacior mens duravit.

VII. Ad hæc Præses diutina deliberatione habita, tandem protulit tractatam diù cogitatamque sententiam, dicens. Tertullus publico ore laudatur, cui honor vel pro meritis vel pro natalibus rependendus est. Editor optimus, senator insignis, imperij pariter devotus & nomini, qui & legibus simul satisfecit & cultibus, cujus imagines per omnem ur-

bem sc̄pius etiam ipse conspexi, liber abscedat, nullum calumniatorem metuat, nullum iudicem pertimescat, dum hæc omnia sacris auribus intimentur. Scelestissimam verò hanc puellam offerri mihi in publico jubeo, simul ut habeat & culpa supplicium & populus exemplum.

VIII. Traditur itaque mox carnificibus devota mens Christo; & quanto sexu femineo & puellari fragilitate despicitur, tanto plus virtute Christianitatis attollitur. Stetit itaque adducta tandem. Et quamvis contra iudicem oculos tenderet, animum tamen habebat ad Christum. Clamor undique populi frementis attollitur dicentis. Viva duro cremetur incendio. Illa verò intrepida, quippe quæ Dei sui nosset auxilium, cœlum intuens sic clamavit. Domine Iesu Christe, fili Dei vivi, certa salus hominum, solus de solo genite, cujus dignè nemo potest naturam comprehendere aut referre virtutem, non angeli, non archangeli, non sedes, non potestates, non virtutes, non potentia, non Cherubin, non Seraphin, omnia enim per te facta sunt Christe, & sine te factum est nihil, qui solus patrem nosti, & quem solus pater agnoscit, Domine salvator animarum, adesto mihi, semper omnibus adfuiti. Nec enim alius est defensor. Agnoscant omnes virtutem tuam, Domine, & advertatur noceri non posse quem diligis.

IX. Ad hæc Præses per integram horam stupens, tandem quæ vocaretur inquit. Maria respondit. Cur nomen interrogas, & de lege nihil dicis? Illa debet percontandi esse ratio quæ vocatur ad crimen. Nec enim me ream nomen facit esse, sed cultus. Sævituræ itaque interrogationi tuæ antè respondeo, Christiana sum. Præses ait. Dominus tuus te hic operitur, ut præmium confitenti aut supplicium inferat repugnanti. Elige itaque quid sequaris. Maria res-

pondit. Corporis dominus est ille, non animæ. Præses ait. Cur religionem domini, cum sis ancilla, non sequeris? Maria respondit. Christiana sum, intellectum sapientiæ habeo, & quid sit rationis agnosco. Contemno simulacra sine sensu; honoro illum quime fecit, non quem ipsa construxi. Præses ait. Ex qua successione hæc ad te vanitas religionis advenit? Maria respondit. A majoribus informata sic credo. Præses ait. Parentes quoque tui hujus fuisse sententiæ? Maria respondit. Semper in hac religione manserunt. Præses ait. Antè Deucalionem, ut dicis, hanc credendi insaniam suscepistis. Quinimmo sacrificata, ut & te & dominum tuum exuas a culpa.

X. Maria respondit. Quid enim æqualitatis est inter cælestem dominum & famulam peccatricem? aut quem timere potest cujus nutu omnes & ipsa reguntur elementa? Quoslibet ergo cruciatus perferam, dulcissimi videntur pro amore Domini Iesu Christi, qui hic auxilium, ibi verò reddet & præmium. Ille nos per Apostolum suum Paulum contra

Rom. 8. omnium infidantium tela firmavit dicens: *Quis nos separabit à caritate Christi, tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an spoliatio, an periculum, an gladius?* Hinc est robur illud invictum, hinc inextribilis animus, & mens in ipsa dolorum acerbitate sublimior, quòd & prædicta nobis sunt ista qualia patimur, & majora sunt munera quàm dolores. Cùm ergo nihil sit quod à Christo separare nos debeat, testor enim illum quem diligo me in ejus timore mansuram, & in ea confessione cruciatam terrena relinquere & ad cœlestia festinare. Præses ait. Sacrificata, si effugere tormenta festinas. Maria respondit. Supplicia quæ minaris, nec longi temporis nec gravis doloris sunt. Quæso ergo ne differas quæ moliris. Christum habeo, & ideo nihil timeo.

XI. Tunc jussu Præsidis applicata tormentis, miserationem populi tantam adepta est ut lacrymæ quoque à circumstantibus funderentur. Nec mora, clamore summo venia virgini postulatur. Sed crudelitas judicis adcelerari tormenta mandavit. Et ecce secunda vox populi judicium Præsidis castigantis emergit. Vociferatio namque una penè erat totius coronæ, injustè lacerari virginem crudelitate judicis, non culpa peccantis, agi contra leges omnia, nec æquiritatis jura servari. Stupens verò Præsides & sono tanti clamoris addictus, quippe præter humanam vocem ipsa etiam putasset tecta corruere, mox Mariam relaxari præcepit. Tunc servari eam sub custodia libera jubet. Maria verò signo Domini semunivit, & levatis ad cælum oculis post relictum tribunal oravit ad Dominum; viditque aciem angelorum, multitudinem sanctorum, atque filium Dei sedentem ad dexteram patris. Hinc tanta subito gratulatione perfusa est ut jam se paradysum ingressam putaret. Hi verò qui eam fugientem persequebantur, subito stupere virtute. Sed ubi illa se circumdatam à persequentibus vidit, lacrymans clamavit ad Dominum. Deus omnipotens, qui sermonem muto, auditum surdo dedisti, qui es venturus in gloria judicare vivos & mortuos, accipe animam meam. Amen. Quoniam persequuntur me canes multi. Ne permittas tradi ancillam tuam & lacerari manibus impiorum; sed ostendens misericordiam tuam citò, exaudi ancillam tuam, exaudi Domine Rex cælestis.

XII. Quæ dum tali oratione fungitur, & renuntians seculo, quietem mortis exoptat, petram quæ ante oculos ejus jacebat respiciens, dignum memoria spectaculum fecit. Nam saxum illud, quòd aut casus adtulerit, aut divinitas destinarit, Deo jubente patefactum, rimam perfugij qua virgo susci-

peretur ostendit, & ad instar dulcissimæ nutricis vel caræ matris motu quodam anxiam amplexans se præbuit, quasi dulci carum partum utero receptura, & mox suscepta virgine, latera antea aperta conclusit. Hæc cum carnifices perviderent, omnia loca petra illius perscrutati sunt, sicubi erepta subito ex oculis prædalatitaret. Ibi adhærentes exuviarum reliquias & adfixa saxo vestium frustra deprehendunt; atque incredibili stupore confusi, confestim Præsidi gesta commemorant. Ille verò partim ira, partim admiratione commotus, jussit Philocomo principali Neocorensium civitatis ut ad prædictum locum festinus accedat, & ad eruendum lapidem numerosam secum multitudinem ducat. Statim præconis voce populus congregatur. Qui ubi primùm ad prædictum locum cum eo cui summa majoris operis fuerit assignata pervenit, mox inicere manum lapidi tentaverunt. Statim ab oriente fulgor nimij splendoris exortus est. Nec mora, tonitruum & fragor quidam, ut sperarentur cuncta corruere. Statim terra concussa est, & nutantia omnium corruere vestigia.

XIII. Ecce autem duo equites magno fulgore radiantes à cælesti sede venientes transvolatu nimio petunt, quorum sella & fræna & omnis ornatus ad instar lampadarum cælesti igne rutilabant. Hos cum omnis illa quæ venerat multitudo conspiceret, ita timore causa præsentis virtutis expavit ut fugiente fersu pariter atque anima in æternam mortem oculi clauderentur. Ceteri verò qui evaserant, ad prophana templi simulacra fugientes, cum ad scelestia ingrederentur altaria, in ipsa perfugij sui sede ceciderunt. Neccorus ad ipsam templi januam spiritum fudit. Vbi verò templum omne completum est, missus è cælo ignis simul & populum exussit & templum. Periit itaque cum diis suis vanæ credulitatis exercitus; & quanto ibi plurima habuerunt

numina, tanto ad ignis augmentum majora incendio fomenta suggesta sunt. Imputent itaque peccatis suis quòd incensi sunt, deorum verò numero quòd diutiùs concremati. Multifariæ itaque mortis tam à percussis quàm ab incensis numerus fuit duomilia septingenti. Pauci verò qui evaserant, civitatem petentes, magnis per omne iter vocibus clamabant: Magnus Deus Mariæ, magnus Deus Christianorum, verè hic Deus solus & justus est. Tunc strati Ecclesiæ solo, Clericorum genua continentes, & præteritorum rogabant veniam, & præsens auxilium postulabant. Et crediderunt in eum timore perterriti milia ferme animæ, atque in nostra religione manserunt. Omnis itaque persecutio post passionem sanctæ Mariæ ad hæc miracula conquievit. Amen.

